

Heinrich Rahn

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Rahne I.U.D. & Prof. Ad Exequias Quas Dn. Henricus Riedemann Civis apud nos Spectatissimus atq[ue] integerrimus Filiolo suo primogenito Henrico paratas cupit Omnes omnium ordinum Cives Academicos studiose invitat**

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775775843>


Druck Freier  Zugang




**Rahne, H.**  
in  
**H. Riedemann.**

Rostock, 1651.

53







151

PROGRAMMA

*Quo*

RECTOR

Universitatis Rostochiensis

HENRICVS RAHNE

J. U. D. & Prof.

*Ad Exequias*

*Quas*

Dn. HENRICVS Riedemann

Civis apud nos Spectatissimus

atq; integerrimus

*Filiolo suo primogenito*

HENRICO

*paratas capit*


Omnes omnium ordinum Cives  
Academicos studiosè invitat.




ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC, LI.





**M**agna lucis felicitas, ait ille,  
πεντα, μηδ' ἀπαιδα θνήσκου procreari,  
neque absque liberis mori. Enim-  
verò cùm omnes omninò, etiam se-  
quioris sexûs, liberi parentibus ani-  
ma & vita sunt, & amoris conjugalis vincula,  
firmissima, ac valentissima philtrea: tùm filiorum  
cupidiores atq; amantiore patres juxta matres-  
que sunt. Nec mirum sane. Sunt enim illi, ut  
Euripides & Herodotus memoriæ prodiderunt,  
domuum columina, generis subsidia & firma-  
menta, familiæ adminicula, parentum ornamen-  
ta: quibus nimirum & viventibus delicias fa-  
ciunt, & mortuis in muneribus civilibus, in ho-  
noribus, in bonis, in fundis, in feudis succedunt;  
eorumque nomen ab interitu, decus & laudem,  
à malevolorum morsibus defendunt; rectè ut  
aureum illud os dixerit: postquam subintravit  
mortalitas, parentum consolationem esse filio-  
rum successionem. Exinde in proclivi est colli-  
gere, quantum mœroris infligatur parentibus,  
quantum acerbitatis objiciatur, quantum dolo-



ris inuratur, cum filii è medio tolluntur, qui eximiam sunt spei, qualis hodie Christiano more sepeliendus erit, postquam is ipsa Dominica, secundâ Trinitatis immaturo obitu exemptus rebus humanis. Ita enim communi opinione obtinet, ut immatura ejus mors, & ante tempus contigisse videatur, quisquis ad aliquam provectiorem ætatem non pervenit. Quasi verò à natura, aut Deo potius, vita nobis certâ quadam lege data sit, & non nisi in senectute ponenda? Nam reverâ nemo ante tempus moritur; cum eâ conditione nobis concessa vita sit, ut reddatur creditori, quocunq; die illam repetat, quam cuique, licet arbitrio tacito, dixit, simul exiit in lucem. Itaq; inepti sunt, qui aliquos immaturo funere extinguere putant; magis illi, qui aliquid miseri inesse in eo existimant. Nondum gustarunt, ajunt, fructum vitæ, qui parvi rapiuntur: non explerunt spem suam, qui inter nos annos expirant. Sed neq; gustarunt etiam amarum vitæ tales, quorum semper major copia, quàm jucunditatis & gaudii est. Et minimè vanè Thebanus vates: uni semper bono duo annexa mala à Diis esse pronuntiavit. Posthæc multò satius est cessisse vitâ, cum pulcrâ atq; eximiam præberent spem, quàm degenerasse à bona indole & ex bonis

nis

nis pessimos factos esse vivendo. Res enim in vi-  
ta hominum, per hanc quidem licentiam labem-  
que temporum, permultæ sunt, quæ optimè quæ-  
que nata corrumpere possunt. Equidem & cum  
HENRICO nostro præclarè actum, qui nunc pla-  
nè positus est extra metum istum, neq; timen-  
dum habet, ne in has, ut sic dicamus, syrtes bono-  
rum morum incidat: aut ullas alias procellas ac  
tempestates, quæ vitam istam dubiam & calami-  
tosam reddunt. Natus est heic Rostochii anno  
c̄lo-Is̄c XLVII. d. XVI. Julii, Patre sibi cognomi-  
ne HENRICO RIEDEMANNO Cive primario,  
viro solerti ac Spectato; matre MARGARETA  
Schröders / fœminâ raræ laudis. Avum pater-  
num sortitus est HENRICUM RIEDEMAN-  
NUM, Civem & negociatorem Chilonii in Hol-  
stia primarium, virum egregium; aviam paternâ  
ANNAM Dreyers / quæ Chilonii adhuc est in  
vivi. Avum maternum habuit JOANNEM  
Schröder / Civem & negociatorem Rostochien-  
sem; aviam maternam MARGARETAM  
Schröders / MARTINI SCHÖDERI Civis  
& Cerevisarii quondam Rostochiensis, viri lau-  
datissimi, filiam. Hisce ex parentibus ut vitam,  
ita & indolem traxit præclaram, quam puer jam  
luculenter ostendit. Erat supra ætatem festivæ  
indolis, morum suavitate amabilis, dotibus in-  
genii

genii egregiis instructus. Parentibus pietatis amore, præceptoribus discendi ardorem mirificè probabat. Catalogum precum & vocabulorum Latinorum bene longum memoriâ tenebat. Ita verò pietate ac bonis literis à teneris usque imbuendi sunt liberi. Nam ecquid attinet plurimum auri atque argenti in arca premere, multosq; fundos ac possessiones relinquere filiis, si rudes, si omnium disciplinarum vacui, ac nullâ virtute atque doctrinâ exculsi fuerint? Hac etenim ratione nec sibi rectè consulere, nec providere aliis quoque egregiè possunt. Optimam in spem Parentes & propinqui erecti erant, eum si per fata liceret, fore utilem & dignum civem suâ patriâ: at postquàm eos spes ista decollat, mirum non est, si oleum se & operam perdidisse querantur, aut etiâ præ doloris impatientia exclament: *Spem mentita seges*. Nam neq; in pumice quærenda aqua: nec ex homine expectandum, quod non aliquando fuerit mortale. Cum Parvulus Noster per aliquot dies rufi ac raucedine laborasset, & nocte diem septimum hujus mensis insequente, gravis ac sævus catarrhus, quem suffocativum appellant, supervenisset, Spiritum ille ægrotanti, etiâ si omne huc facientis remedii genus à Medico diligenter adhibitum esset, interceptit, atq; ex hac miseriarum valle in curiam cælestem, ipsâ  
Domi-

Dominica secunda Trinitatis circa horam octavam matutinam, migrare jussit. In cujus obitu quò plura sunt, quæ excitare dolorem ac luctum possunt, hoc is acerbior Parentibus duriorq; accidit. Nam ætas tenera quid non flebile & dignum lacrymis videatur habere? cùm & surculos arborum, & teneras herbarum soboles, aut tempestatis vi, aut aurâ maligni sideris dejici atq; interfici ægrè feramus? Jam illa festivitas Parvuli, illi molliculi ac delicati lusus, illi cachinnuli amænissimi, quantam vim desiderii afferre posse, existimanda sunt. Confidimus tamen eos, ubi sese recollegerint, ad sanctissimam Dei voluntatem, suam adgregaturos. Plutarchus inter septem Græciæ Sapientum oracula celebratum ait: *ἐπὶ θεῷ*  
SEQUERE DEUM. Sequentur & illi Deum, & obsequentur Deo, atq; à nimio planctu & luctu, quo nec quidquam proficimus, animum avocabunt. Puer raptus est? Sed nihil ad felicitatem animæ anni faciunt. Erat egregiis moribus præditus, multaq; eaq; eximia minabatur? Gratulari debent, quod salvis rebus in portum devenit. Felix nunc Ejus est conditio, & exoptatus status, cui nulli morbi amplius florem ætatis atterent, nullæ animum excruciantur curæ; qui complexus cælum suum, ineffabili gaudiorum lætitiâ affluit undiq; atq; abundat, securusq; ac immu-  
nis

nis calamitatum non nisi in terras cadere fulmina cernit: nec jam de annis sollicitus, æternitatem induit, & junctus Deo divinam naturam in se recepit. Quotusquisq; hæc seriò cogitet, perpendatq; apud animum, quin illico rerum humanarum pertæsus subsequi cupiat, quò ille præcessit? Expectandum tamen æquo animo donec DEUS quemque evocet, & tolerandum fortiter, quicquid laboris interim cuique imponit. Nam invitum manere in vita, obmurmurantis; & semetipsum ejicere inde, violatoris sacramenti est. Quod quidem custodit præcipuè, qui tuctur stationem suam strenuè, & sine gemitu sequitur. quocunq; imperator summus duxit.

Nos CIVES ACADEMICI, ita agamus & comparemus nos, ut nihil in Parentes mæstissimos officii, quo leniri hæc plaga & mitigari aliquantulum possit, omisisse videamur. Quod fiet, si Parvuli exequias eâ quâ par est morum compositione frequenter prosequamini. Id igitur ut prolixè faciatis, etiam atq; etiam vos adhortamur.

P.P. Rostochi d. XI. Jun. anno recuperatæ  
gratiæ clò lbc LI.

*Convectus fiet ad H. 1. in ade  
B. Virgini sacra.*


1750











nis pessimos factos esse vivendo. R  
ta hominum, per hanc quidem lice  
que temporum, permultæ sunt, qua  
que nata corrumpere possunt. Eq  
HENRICO nostro præclare actum  
nè positus est extra metum istum  
dum habet, ne in has, ut sic dicamu  
rum morum incidat: aut ullas alia  
tempestates, quæ vitam istam dubi  
tosam reddunt. Natus est heic R  
cl<sup>o</sup> Ioc XLVII. d. XVI. Julii, Patre  
ne HENRICO RIEDEMANNO C  
viro solerti ac spectato; matre M  
Schröders / fœminâ raræ laudis.  
num sortitus est HENRICUM B  
NUM, Civem & negociatorem Cl  
latia primarium, virum egregium; a  
ANNAM Dreyers / quæ Chilon  
vivis. Avum maternum habuit J  
Schröder / Civem & negociatorem  
sem; aviam maternam MARG  
Schröders / MARTINI SCHÖ  
& Cerevisiarii quondam Rostochie  
datissimi, filiam. Hisce ex parent  
ita & indolem traxit præclaram, qu  
luculenter ostendit. Erat supra a  
indolis, morum suavitate amabili

A 3

